

*Doc. 43 (Scriptum est
Iustitiariis Basilicate presenti
et futuris devotis suis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 43 (Scriptum est
Iustitiariis Basilicate presenti
et futuris devotis suis...)*

1307-06-02

Scriptum est iustitiariis Basilicate presenti et futuris devotis suis etc.

Pro parte hominum casalis Lacuspensilis fuit nuper coram nobis querula expositione monstratum ut cum casale ipsum in antiquis cedulis generalium subventionum in predicta provincia Basilicate ab olim impositarum per curiam non contineatur taxatum, ipsique usque ad annum quarte indictionis proximo preterite, infra quem ad solutionem certe quantitatis pecunie pro generali subventione eodem anno per curiam in iustitiariatu ipso imposite, fuerunt coacti indebite per tuum in eodem officio precessorem, ex cuius solutione ad tantam inopiam devenerunt quod vix habent ut dicunt unde alere se possint ac etiam sustentare, quamquam non solverint de dictis subventionibus aliisque fiscalibus functionibus et collectis, que pro tempore in predicto iustitiariatu Basilicate fuerunt per dictam curiam imposite et taxate, vos presens iustitiarie ipsos ad solutionem presentis generalis subventionis indebite compellitis ut asserunt et multipliciter molestatis, propter quod ipsius casalis incolatum proprium deserere compelluntur nisi eis super hoc per nos de oportuno remedio succurratur, ipsis itaque supplicantibus sibi in hoc per curiam provideri, actendentes quod quesitis regestris curie predictarum antiquarum cedularum generalium subventionum que in archivo curie conservantur, casale ipsum in ipsis taxatum nullatenus repentur, ac nolentes quod contra solitum propter gravamina impositionis et taxationis subventionis huiusmodi, que sicut didicimus ob eorum impotentiam tollerare non possunt, casale ipsum exhabitarum remaneat in curie

preiudicium atque dampnum providimus ob causam eamdem casale predictum in ipsis non esse taxandum usque ad regium beneplacitum atque nostrum. Volumus itaque et devotioni vestre presentium tenore mandamus quatenus, visis presentibus tam vos presentes quam alii successive futuri, casale predictum tam in presenti quam futuris aliis generalibus subventionibus imposita et imponendis in antea in eodem iustitiariatu predicto regio beneplacito ac nostro durante, aliquatenus non taxantes, homines ipsos ad solutionem quorumcumque residuorum seu generalium subventionum vel aliarum fiscalium functionum impositarum per curiam pro retrohacto tempore vel imponendarum in antea in iustitiariatu predicto non compellatis in aliquo vel molestetis eosdem. Vos etiam presens iustitiarie revocetis in irritum si quem processum forte habuistis propterea contra eos, ut homines ipsi ad nos propterea redire denuo non cogantur, presentes autem litteras postquam inspexeritis quantum fuerit oportunum, et transumptum ipsarum in formam publicam receperitis ad cautelam in vestro computo producendas, restitui volumus presentanti ipsis hominibus durante dicto beneplacito valituras.

Data Neapoli per magistros rationales magne regie curie.
Anno Domini MCCCVII die II iunii V indictionis.